ERSTES PROGRAMM

DES

STÆDTISCHEN

GYMNASIUMS

IN

FREIENWALDE A/O.,

HERAUSGEGEBEN OSTERN 1869.

INHALT.

1. Coniunctiui usus in sermone Graeco comparatur cum eiusdem modi usu in sermone Lati[...]
   Part. I. Vom Gymnasial-Lehrer Gotthard Hubert.
2. Schulnachrichten vom Director.

FREIENWALDE A/O.
DRUCK VON MORITZ COHN.
1869.

I.

Coniunctiui
usus in sermone Graeco
comparatur
cum eiusdem modi usu in sermone Latino.

In omni enuntiatione quum subiecto praedicatum quoddam attribuatur, duobus modis subiecti haec cum praedicato coniunctio exprimi potest: aut ita, ut actionis, quae in uerbo inest, significatio nude atque absolute praedicetur de subiecto; aut ita, ut coniunctionem illam in animo tantum subiecti effici significetur.

Modorum igitur uerbi, quibus Priscianus dicit uarios animi affectus demonstrari, duo apparet esse genera, quorum unum in natura positos (qui obiectiui dicuntur), alterum in cogitatione sitos (subiectiuos) animi significet affectus.

Prioris generis est indicatiuus purum euentum atque ueritatem exprimens; alterius ii modi, qui proprie dicti subiectiui actionem non re, sed in animo tantum subiecti fieri indicant.

Purae autem cogitationis quum Graecae linguae proprius sit modus optatiuus, coniunctiui et imperatiui notiones medium quodammodo teneant inter ueritatem et cogitationem: in Latino sermone coniuctiuus non modo coniunctiui, sed etiam optatiui Graeci comprehendit significationem, ita ut omne cogitationis genus exprimat. — Graecos uero inter subiectiuos modos hoc intercedit discriminis, quod, quum optatiuus puram significet cogitationem, et imperatiuus et coniunctiuus effectus intentionem[1]) pronuntiant, rem animo tantum subiecti adhuc contentam iam ad effectum adducendam esse exprimunt: ita tamen, ut per imperatiuum is, de quo sermo est, aliquam rem fieri per alium quendam iubeat; per coniunctiuum autem omnino id agi, ut res animi tantum cogitatione adhuc comprehensa iam ad effectum perducatur, significetur.

Quas si statuimus modorum proprias esse notiones — id quod aduersus Hermanni aliorumque grammaticorum et recentiorum et ueterum doctrinas luculentissima disputatione[2]) Baeumlinus euicit —: Graecos et Latinos modos maximam quidem partem inter se consentire neque tamen nullis non carere differentiis apparet eamque inconuenientiam ad coniunctiuos magis pertinere, quoniam Latino coniunctiuo et coniunctiui Graeci et optatiui contineatur notio, quam ad indicatiuos et imperatiuos, quibus eadem fere in utraque lingua insit significatio. — Non igitur prorsus eandem rem eodem nomine in utraque lingua comprehendi uidemus — quamquam nomina ueteris grammaticae rerum ueram notionem et essentiam persaepe non explere

---

[1]) „Tendenz zur Verwirklichung."

[2]) Untersuchungen über die Griech. Modi. Heilbronn 1846.

nemo nescit. Graeci enim coniunctiui nomen est usitatissimum ὑποταχτική (subiunctiuus), ὅτι ὑποτάσσεται μορίοις τῷ ἵνα καὶ τῷ ὄφρα καὶ τῷ ὅπως uel[3]) (causalis) et αἰτιολογική (finalis): quae nomina omnia magis a singulis usus generibus iisque frequentissimis, quam a uerae eius notionis consideratione petita esse ipso aspectu patet[4]).

Neque magis apta omnemque coniunctiui usum complectentia Latina sunt nomina coniunctiuus uel subjunctiuus — quae ex Graeco ὑποταχτικῆς uocabulo uersa esse apparet (ut plerasque Latini grammatici nominationes inde in suum sermonem magis minusue apte transtulerunt), quippe quae ad eas tantum iure adhibeantur enuntiationes, quae non liberae sint, sed ex alio uerbo pendeant, ubi subiunctionis uel coniunctionis significatio re uera inest in coniunctiuo. Multo uero rectius tertium eius modi est nomen subiectiuus, quippe quo optime hoc eius esse proprium indicetur, ut actionem uerbi adhuc in animo quidem subiecti inesse, neque tamen iam effici exprimatur.

Ita coniunctiuorum Graeci et Latini principali definita significatione iam ad singula usus eorum genera transeamus comparanda: quam quidem comparationem ita instituemus, ut priore loco coniunctiuorum in liberis enuntiationibus exponamus usum, deinde de coniunctiuis in suspensis ex alio uerbo enuntiatis, ubi aptius coniunctiui usurpatur nomen, dicamus.

Graeci coniunctiui quum eam propriam esse notionem statuerimus, ut animi tantum cogitiatione comprehensam actionem iam ad effectum tendere exprimat: non multum certe distat a futuri temporis significatione, quippe quo idem actionis pronuntietur propositum. Quo fit, ut non apud Homerum solum, sed apud posterioris quoque Graecitatis scriptores[5]) eodem fere sensu coniunctiuus (et aoristi et praesentis) et futurum saepissime usurpentur interque se commutentur. Et quum utraque forma ad effectum et ueritatem nonnisi tendere actionem exprimat: hoc tamen interest, quod futurum euenturam esse rem quandam simpliciter atque certe affirmat, coniunctiuus (quem hoc sensu usurpatum ad μέλλειν uerbi proxime accedere notionem bene monet Baeumlinus) actionem siue ex ipsius eius, qui loquatur, siue ex alius cuiusdam uoluntate instare significat. Ita Il. 1, 262 οὐ γάρ πω τοίους ἴδον ἀνέρας οὐδὲ ἴδωμαι; et quod legitur Il. 6, 459 et 7, 87 καί ποτέ τις εἴπῃσιν, paullo post 6, 462 et 7, 91 per futurum tempus repetitur: ὥς ποτέ τις ἐρέει, ubi primo tale quid euenturum esse uerisimile sibi quidem uideri Hector pronuntiat, deinde autem re uera futurum esse animo prospicit. — Et Il. 14, 235 ἐγὼ δέ κέ τοι ἰδέω χάριν ἤματα πάντα, cui prorsus eodem modo subiungitur v. 2, 38 δῶρα δέ τοι δώσω et v. 239 Ἥφαιστος δέ κ' ἐμὸς παῖς ἀμφιγυήεις τεύξει ....: ubi Iuno primo quidem in uniuersum gratiam se Somno habituram esse praedicat, tum uero donis disertius propositis animum commouere officiaque illius sibi conciliare conatur: Il. 9, 61 ἐξείπω καὶ πάντα διίξομαι; ib. 121 δῶρ' ὀνομήνω, quod v. 128 sqq. explicatur: δώσω δ' ἑπτὰ γυναῖκας etc.; — Huc usitatissimum quoque illud pertinere uidetur: τί πάθω; quod cum aliis quibusdam uerbis coniunctum non modo apud poetas, sed etiam apud pedestris sermonis scriptores inuenitur. Ita Il. 11, 404 ὤ μοι ἐγώ, τί πάθω; — Od. 5, 465 ὤ μοι ἐγώ, τί πάθω; τί νύ μοι μήκιστα γένηται; — Aesch. Septem 1043 (Herrm., al. 1057) τί πάθω; τί δὲ δρῶ; τί δὲ μήσωμαι; — Soph. Oed. Col. 216 ὤ μοι ἐγώ, τί πάθω, τέκνον ἐμόν; Eur. Andr. 513, 514 ὤμοι μοι, τί πάθω τάλας δῆτ' ἐγὼ σύ τε μᾶτερ;

---

[3]) Scholl. ad Dion. Thr. p. 884.

[4]) Nam Herrmanni aliorumque uirorum doctorum opiniones, qui ueterum grammaticorum auctoritatem secuti ὑποταχτικῆς nomen rectum et eos locos, ubi nulla esset particula, cui subiungeretur modus, per ἔλλειψιν explicandos esse censerent, a Baeumlino iure esse refutatas iam supra diximus.

[5]) Lobeck ad Phrynich. p. 722 sqq. complura affert exempla Byzantinae potissimum aetatis, sed iam antea in usu fuisse hunc coniunctiuum Lesbonax testatur a Lobeckio citatus, qui bene distinguit inter οὐ μὴ εἴπω (quod minus huc pertinet: cfr. p.) et οὐχ εἴπω etc.

Quae formula — id quod nonnullis in mentem uenit — ne quid faciam? exprimat, et uocabuli obstat significatio et leges grammaticae; nam τί πάθω; non dubitationem aliquam subiecti, quid faciendum sibi sit, sed exspectationem potius instantis mali perferendi significare apparet, neque quisquam deliberationem illam in τί γένηται; repererit. Minus igitur pro deliberatiuo[6]) quam pro futurali accipiendus est coniunctiuus: id quod et aliis locis, ubi eadem significatione non coniunctiuus, sed futurum usurpatur, uelut Aesch. Suppll. 748 (Herrm., al. 777) τί πεισόμεσθα; ποῖ φύγωμεν ....; confirmatur et propterea uerisimilius fit, quod saepissime huic formulae adiungitur: τί νύ μοι μήκιστα γένηται; — quem quidem coniunctiuum pro deliberatiuo magis quam pro futurali habere per leges grammaticas non licet[7]). — Neque tamen negari potest hanc locutionem, quum eodem fere usurpetur sensu, quo τί ποιήσω; etc., apud posteriores scriptores, ubi futuralis ille Homeri coniunctiuus non exstet, primitiua eius notione obliterata prorsus dubitativam induere solere significationem minus ex formulae ipsius quam ex similium ratione petitam: Her. 4, 118 τί γὰρ πάθωμεν μὴ βουλομένων ὑμέων τιμωρέειν; — Plat. Euthydem. 302, D. τί γὰρ πάθω;

Talem deinde subiectiuam in coniunctiuo inesse significationem rei futurae eo quoque probatur, quod hoc sensu saepe ei ἄν particula additur, quippe qua non ita certe ex subiecti sententia instare actionis effectum, sed a condicionibus quibusdam pendere siue diserte additis siue sermonis e contextu supplendis pronuntietur. Et huic quoque coniunctiui usui similis respondet futuri, cuius obiectiuum sensum apposita eadem ἄν particula leniri atque minui reperimus. Ita Il. 1, 183 τὴν μὲν ἐγὼ .... πέμψω, ἐγὼ δέ κ' ἄγω Βρισηΐδα καλλιπάρῃον: ubi primo Chryseidem se missurum esse pro certo denuntiat Achilles, tum ea condicione Briseidem se sibi sumpturum cum reseruatione quadam et consideratione minatur. —

Il. 1, 137 εἰ δέ κε μὴ δώωσιν, ἐγὼ δέ κεν αὐτὸς ἕλωμαι
ἢ τεὸν ἢ Αἴαντος ἰὼν γέρας ἢ Ὀδυσῆος
ἄξω ἑλών, ὁ δέ κεν κεχολώσεται, ὅν κεν ἵκωμαι.

Il. 11, 387 οὐκ ἄν τοι χραίσμῃσι βιὸς καὶ ταρφέες ἰοί.

Et quod optime subiectiuam illam coniunctiui probat assignificationem: Il. 204 τὸ δὲ καὶ τελέεσθαι ὀΐω· ᾗς ὑπεροπλίῃσι τάχ' ἄν ποτε θυμὸν ὀλέσσῃ: ubi illud θυμὸν ὀλέσσῃ (Ἀτρείδης) non nude utique exitium sibi paraturum esse Agamemnonem, sed eam Achillis modo — nisi desistat ille ab incepto — cogitationem, opinionem (οἴησιν) esse exprimit. —

Il. 11, 431. 433 σήμερον ἢ δοιοῖσιν ἐπεύξεαι Ἱππασίδῃσιν,
ἤ κεν ἐμῷ ὑπὸ δουρὶ τυπεὶς ἀπὸ θυμὸν ὀλέσσῃς:

ubi alterutrum futurum esse exponit Socus: aut uicturum esse Vlixem nude ponit, aut se ipsum fratris caedem ulturum esse cum modestia quadam (ἄν = data occasione) pronuntiat. — Cui significationi quum proximum esse appareat optatiuum, quippe qui actionem in cogitatione tantum subiecti extare planius exprimat: fieri potest, ut coniunctiuum hoc intellectu usurpatum excipiat optatiuus, ut Il. 18, 30 ἄντην (Ἀχιλλέως) στήσομαι, ἤ κε φέρῃσι μέγα κράτος ἦε φεροίμην: ubi se uicturum esse non ita certum sibi uideri cum modestia quadam et dubitatione Hector pronuntiat.

Huius coiunctiui similem usum Latina lingua non praebet; magis autem cum Graeco Latinus consentit sermo in alio coniunctiui usus genere, quod et ipsum ex originali eius significatione fluxit.

In iis enim coniunctiuis, qui adhortationem uel, cuius eadem est essentia, deliberatiuam interrogationem exprimant, purissime intentionem effectus apparere primo aspectu elucet. At-

---

6) cfr. p. 4

7) cfr. p. 6.

que adhortatiuus quidem, qui proprie dici solet, de prima praecipue usurpatur persona neque ea pluralis tantum (qua quidem re frequentius nihil est), sed etiam singularis. Ita Il. 2, 236 οἴκαδέ περ σὺν νηυσὶ νεώμεθα· τόνδε δ᾽ ἐῶμεν Αὐτοῦ ἐνὶ Τροίῃ γέρα πεσσέμεν: qui coniunctiuus, quid Thersitae in animo sit et quid alios quoque facere uelit (sc. ut domum redeant), apertissime significat; Il. 22, 450 δεῦτε δύω μοι ἕπεσθον, ἴδωμ᾽ ὅτιν᾽ ἔργα τέτυκται; Il. 6, 340 ἀλλ᾽ ἄγε νῦν ἐπίμεινον, Ἀρήια τεύχεα δύω; Il. 23, 71 θάπτε με ὅττι τάχιστα, πύλας Ἀίδαο περήσω. Cui coniunctiuo, ubi intentionem effectus minus ab eo, qui loquatur, quam ab alio quodam pendere significetur, adhortatiuae quaedam particulae addi solent, uelut ἄγε, ἄγετε, δεῦρο, δεῦτε, φέρε, ἴθι simm.: Od. 8, 292 δεῦρο φίλη λέκτρονδε τραπείομεν εὐνηθέντες; Od. 22, 139 ἀλλ᾽ ἄγεθ᾽ ὑμῖν τεύχε᾽ ἐνείκω θωρηχθῆναι ἐκ θαλάμου. Eas tamen particulas nequaquam necessarias esse iis, quae supra attuleramus, exemplis probatur. — Neque tamen de aliis personis tali modo usurpatus reperitur affirmatiuus coniunctiuus, pro quo tum imperatiuus intercedere solet[8]).

Eidem coniunctiuo quum negationes adduntur, prohibitiuo est nomen, qui aliquid fieri uetat et de omnibus pariter adhibetur personis. Ita Il. 1, 26 μή σε γέρον κοίλῃσιν ἐγὼ παρὰ νηυσὶ κιχείω = ne accidat, ut te uideam. Ac de prima quidem persona idem coniunctiuum hunc ualere uidemus, quod secundae et tertiae imperatiuum, qui ceterum huic coniunctiuo, praesertim ubi maiore cum grauitate aliquid fieri uetat, consimillimus est. Itaque Soph. Trach. 801 ἀλλά μ᾽ ἔκ γε τῆσδε γῆς πόρθμευσον ὡς τάχιστα μηδ᾽ αὐτοῦ θάνω — duas illas personas per imperatiuum et coniunctiuum prohibitiuum distingui uidemus. — Saepius tamen alterius et tertiae personae hoc modo adhibetur coniunctiuus, ut Soph. Philoct. 470 μὴ λίπῃς μ᾽ οὕτω μόνον, cui respondet imperatiuus v. 473 ἀλλ᾽ ἐν παρέργῳ θοῦ με; et uice uersa Soph. Oed. Tyr. 1414 πίθεσθε, μὴ δείσητε; Xen. anab. 6, 4, 18 καὶ ὑμεῖς μὲν μὴ ἐκδῶτε; Isocr. Philipp. §. 93 καὶ μηδεὶς ὑπολάβῃ etc. Hoc tamen addendum est eiusmodi coniunctiuos prohibitiuos, id quod iam ex iis, quae attulimus, exemplis apparet, aoristi tantum apud Atticos solere usurpari iisque non modo, quid in certa quadam re ne fiat, uetari, sed etiam quid in diutinum longiusque tempus. Huic tamen quoque regulae sunt, qui repugnent loci, ut — omissis incertae lectionis quibusdam — Plat. legg. 9, 861, E μὴ τοίνυν τις τὰς βλάβας πάσας ἀδικίας τιθεὶς οὕτως οἴηται καὶ τὰ ἄδικα ἐν αὐταῖσι ταύτῃ γίγνεσθαι διπλᾶ nullo dissentiente codice: ubi οἴηται prorsus eadem significatione, qua alias οἰηθῇ vel οἰηθήτω dictum esse manifestum est. — Sed * Plat. Epinom. p. 989, B μεῖζον γὰρ ἀρετῆς μηδεὶς ἡμᾶς ποτε πείθῃ τῆς εὐσεβείας εἶναι τῷ θνητῷ γένει pro πείθῃ ex discrepantibus codicum lectionibus (πείθῃ, πεισθῇ, πείσῃ) sine dubio πείσῃ restituendum uidetur. —

Prorsus eadem effectus intentio, ea tamen per interrogationem ad ipsius subiecti uel alius cuiusdam considerationem atque arbitrium relata, in deliberatiuo inest coniunctiuo. Non igitur simpliciter e rerum natura quid faciendum sit, interrogatur (id quod per χρή uel δεῖ exprimendum est), sed quid ipsa ea, ad quam dirigitur oratio, persona (siue ipsum deliberans subiectum siue alia quaepiam) faciendum esse censeat.

Quodsi tenemus non quid sit, non absolutum iam actionis euentum in dubium uocari, sed intentionem modo illam effectus, num quid euenturum sit: proprie, id quod usu confirmatur, primae potissimum personae item atque in adhortatione hunc coniunctiuum tribuendum esse apparet, quippe quo subiectum non modo deliberans, sed acturum quoque idem ponatur. Non igitur enuntiationi Germanicae: was sollst du thun? Graeca respondet: τί ποιῇς; uel per obliquam interrogationem: ich weiss nicht, was du thun sollst: οὐκ οἶδα, τί ποιῇς; non enim alia nisi deliberans ipsa persona suae actionis effectus intentionem in dubium uocare

---

[8]) Nam in uno illo loco, qui pro secundae personae adhortatiuo affertur coniunctiuo: Soph. Philoct. 300 φέρ᾽ ὦ τέκνον νῦν καὶ τὸ τῆς νήσου μάθῃς, dubia est lectio.

potest. Primae autem et sing. et plur. personae talis coniunctiuus non minus in liberis quam in suspensis ex aliis enuntiationibus reperitur. Ita Od. 15, 509 sqq. πῇ τ᾽ ἄρ᾽ ἐγώ, φίλε τέκνον, ἴω; τεῦ δώμαθ᾽ ἵκωμαι....; ἢ ἰθὺς σῆς μητρός ἴω καὶ σοῖο δόμοιο; — Plat. de rep. p. 580, B μισθωσώμεθα οὖν κήρυκα, ἦν δ᾽ ἐγώ, ἢ αὐτὸς ἀνείπω; — Xen. Cyrop. 1, 4, 13 ὥρα ἄν, ἔφη ὁ Κῦρος, σοὶ παρασκευάζεσθαι εἴη...., ὡς βουλεύομαί γε, πῶς σε ἀποδρῶ; Soph. Oed. Tyr. 1367 οὐκ οἶδ᾽, ὅπως σε φῶ βεβουλεῦσθαι καλῶς; Soph. Oed. Col. 310 ὦ Ζεῦ, τί λέξω; ποῖ φρενῶν ἔλθω, πάτερ; ib. 828 ὤ μοι τάλαινα, ποῖ φύγω; ποίαν λάβω Θεῶν ἄρηξιν ἢ βροτῶν; — Neque raro eiusmodi coniunctiuo adhortatiuum quoddam additur uerbum uelut βούλει, βούλεσθε (apud poetas etiam θέλεις, θέλετε), quo intentius appellatae personae inuocetur iudicium: Soph. Phil. 761 βούλει λάβωμαι δῆτα καὶ θίγω τι σοῦ; — Xen. memm. 3, 5, 1 βούλει οὖν.... διαλογιζόμενοι περὶ αὐτῶν ἐπισκοπῶμεν; — Eur. Hec. 1042 βούλεσθ᾽ ἐπεισπέσωμεν; — Omnes hi loci quum primam exhibeant personam, aliis contra secunda quoque reperitur persona, dummodo deliberans subiectum idem acturum quoque sit: Xen. memm. 2, 1, 23 ὁρῶ σε, ὦ Ἡράκλεις, ἀποροῦντα, ποίαν ὁδὸν ἐπὶ τὸν βίον τράπῃ; ib. 2, 1, 30 οὐ γὰρ διὰ τὸ πονεῖν, ἀλλὰ διὰ τὸ μηδὲν ἔχειν, ὅτι ποιῇς, ὕπνου ἐπιθυμεῖς. — Quas constructiones ad primam reducendas esse personam recte obseruat Baeumlinus, ita ut priore loco ex cogitatione Herculis ponendum fuerit: ἀπορῶ, ποίαν ὁδὸν τράπωμαι; altero ex Κακίας mente: οὐδὲν ἔχω, ὅτι ποιῶ. — Eadem ratione in oraculo apud Suidam s. v. Ἀρχίας:

χώρας καὶ πόλεως οἰκήτορα λαὸν ἔχοντες
ἤλθετ᾽ ἐρησόμενοι Φοῖβον, τίνα γαῖαν ἵκησθε —

ex consulentium animo subaudiendum est: ἤλθομεν ἐρησόμενοι, τίνα γαῖαν ἱκώμεθα. — E rerum natura quum secunda persona paucis locis inueniatur, multo frequentior tertiae talis est usus in interrogatione obliqua[9]) ad subiectum, quid agendum sibi sit, deliberans relata: Her. 1, 53 ἐνετέλλετο ὁ Κροῖσος ἐπειρωτᾶν τὰ χρηστήρια, εἰ στρατεύηται ἐπὶ Πέρσας Κροῖσος[10]); et paullulum liberius Od. 16, 73 μητρὶ δ᾽ ἐμῇ δίχα θυμὸς ἐνὶ φρεσὶ μερμηρίζει,

ἢ αὐτοῦ παρ᾽ ἐμοί τε μένῃ καὶ δῶμα κομίζῃ....,
ἢ ἤδη ἅμ᾽ ἕπηται Ἀχαιῶν ὅστις ἄριστος —

ubi Homerice θυμὸς μερμηρίζει pro μήτηρ μερμηρίζει per circumlocutionem quandam poeticam, qua nihil est frequentius, dictum itaque tertiam ad primam proprie reducendam esse personam (πότερον μένω ἢ ἕπωμαι;) nemo non uidet; et Soph. Aj. 404 ποῖ τις οὖν φύγῃ; ubi per illud τὶς ipse se significat Aiax. Et eodem modo Dem. de corona §. 124 πότερον σέ τις, Αἰσχίνη, τῆς πόλεως ἐχθρὸν ἢ ἐμὸν εἶναι φῇ; ex directa incerti illius subiecti τὶς interrogatione φῶ; explicandum est. — At Il. 16, 646 sqq. .... Ζεὺς φράζετο θυμῷ

πολλὰ μάλ᾽ ἀμφὶ φόνῳ Πατρόκλου μερμηρίζων,
ἢ ἤδη καὶ κεῖνον ἐνὶ κρατερῇ ὑσμίνῃ
αὐτοῦ ἐπ᾽ ἀντιθέῳ Σαρπηδόνι φαίδιμος Ἕκτωρ
χαλκῷ δηώσῃ ἀπο τ᾽ ὤμων τεύχε᾽ ἕληται,
ἢ ἔτι καὶ πλεόνεσσιν ὀφέλλειεν πόνον αἰπύν —

dubitari potest, num coniunctiui illi δηώσῃ et ἕληται futurali notione sint accipiendi an ad directam orationem δηώσω, ἕλωμαι reducendi ita, ut neglecta uel certe ex poetae memoria elapsa subiectorum diuersitate, quum Hector hic minister tantum et quasi instrumentum Jouis fiat, per quem suum is propositum exequatur, idem hoc quoque loco et deliberans et acturum sit subiectum Ζεύς, qui ipse secum per Hectorem (id quod in uerbis certe inest) Patroclum interficiendi armisque exuendi consilium perpendat. Atque mihi quidem altera haec praeplacet interpretatio, quae hoc

---

[9]) cfr. p. 11.

[10]) quae sequuntur: καὶ εἴ τινα στρατὸν ἀνδρῶν προσθέοιτο φίλον optime illustrandae regulae inseruiunt: nam num socios inueniat, hoc non ipsius, sed dei in potestate est; cfr. p.

quoque uerisimilior fieri uidetur, quod idem Ζεύς, qui probata hac explicatione pro subiecto agente in δηώσῃ Ἕκτωρ καὶ ἕληται subaudiendus sit, adiunctae quoque sententiae ἤ ἔτι καὶ πλεόνεσσιν ὀφέλλειεν πόνον αἰπύν redit subiectum. — — Formulas contra τί πάθω; simm. minus huc quam ad futuralem coniunctiui pertinere uideri usum iam supra[12]) expositum est. —

Jam Latini coniunctiui respicientes usus genera eadem reperimus eodem ex fonte actionis ad effectum tendentis oriunda, praeterea autem unum, quo Graecum coniunctiuum carere iam supra commemorauimus[13]), optatiuum.

Ac primum quidem eadem ratione, qua Graeco, in adhortatione Latino coniunctiuo est locus, neque tamen, sicut ille, per primam potissimum pluralis usurpatur personam, sed optatiui quoque Graeci in se recipiens naturam per omnes promiscue, ita ut iam pro lenioris imperatiui omni adhibeatur genere (iussiuus). Ita consilium, quod is, qui loquitur, ipse est executurus, coniunctiui significat prima persona sing.: Cic. ad Att. 8, 6, 3 moriar, si magis gauderem, si id mihi accidisset; — uel si alios quoque respicit secum coniunctos, prima plur. persona: Cic. pro Sest. 68, 143 imitemur nostros Brutos, Camillos...; amemus patriam, pareamus senatui, consulamus bonis...; id esse optimum putemus, quod erit rectissimum; Cic. off. 1, 13, 9 meminerimus autem etiam aduersus infimos iustitiam esse seruandam. — Jam autem si adhortatio illa non ad ipsum eum, qui loquitur, sed ad alium quendam hominem dirigitur, secundae[14]) et tertiae personae locus est: Ter. Heaut. 2, 2, 104 datur: fruare, dum licet; Cic. ad famm. 7, 7, 1 essedum aliquod capias, suadeo, et ad nos quam primum recurras; ib. 16, 13 ad nos uenias; Cic. Catil. 2, 9, 20 desinant furere, Cic. off. 1, 35, 129 status, incessus.... teneant illud decorum. — Et quum iussum ad praesens tantum uel futurnm tempus uideatur posse pertinere: fieri tamen potest, ut ad praeteritae quoque primariae actionis tempus praeceptum de eo, quod tunc faciendum erat[15]), referatur per imperfectum: Ter. Hec. 2, 1, 33 quae hic erant, curares (hättest besorgen sollen); Cic. off. 3, 22, 10. 11 Curio causam Transpadanorum aequam esse dicebat .... Potius diceret non esse aequam; Ter. Heaut. 1, 2, 27 fortasse aliquanto iniquior erat praeter eius libidinem. Pateretur; nam quem ferret, si parentem non ferret suum? — Attamen ne Latini quidem plusquamperfecti in eiusmodi enuntiatis adhibiti desunt exempla: Cic. finn. 4, 20, 57 quid igitur uoluit sibi......? saltem aliquid de pondere detraxisset et paullo minoris aestimauisset (hätte... sollen); Cic. Verr. 3, 84, 195 frumentum ..... ne emisses. —

Addita negatione ex iussiuo coniunctiuo prohibitiuus euadit, quem eundem in Graeca lingua reppereramus. Raro enim in prorsa oratione — exceptis legibus talibusque praeceptis, quae legum imitentur sermonem, — negatiuus adhibetur imperatiuus, cuius significatio uel per noli uerbum auxiliare, uel per coniunctiuum exprimitur. Atque eadem ratione, qua Graeci aoristi hic coniunctiuo non certi cuiusdam temporis notionem prae se ferente utuntur, quo ipsam actionem minus quam exitum actionis uetari indicent, ita in Latino sermone coniunctiuus non tam praesentis temporis quam perfecti uel potius, cuius eadem est forma, futuri exacti

---

11) ceterum de optatiuo ὀφέλλειεν hoc loco coniunctiuos δηώσῃ, ἕληται excipiente postea dicendum nobis erit: cfr. p.

12) p. 3.

13) p. 1.

14) Quod Maduigius secundam personam de ficto tantum et cogitato subiecto (man) in prosa oratione usurpari solere (ut Cic. Tusc. 5, 41, 118 iniurias fortunae, quas ferre nequeas, defugiendo relinquas) putat, falli uidetur; nam ex ipsius Ciceronis epistulis duo iam afferuntur exempla; neque dubium est, quin plura facili opera conquiri possint; neque omnino est, cur de certo quoque subiecto adhiberi posse hunc coniunctiuum negemus.

15) ubi nostrates plusquamperfecti coniunctiuo utuntur (hätte sollen), quae forma iam ipsa nonnisi in praeteritum tempus ualere praeceptum, neque tamen tunc effectum esse indicat.

usurpatur. Itaque coniunctiuum futuri exacti negatiuum affirmatiuo imperatiuo succedere saepius videmus: Sall. Jug. 85, 47 capessite rem publicam, neque quemquam ex calamitate aliorum aut imperatorum superbia metus ceperit. — Neque tamen praesentis coniunctiuus omnino non reperitur, tertiae potissimum personae (nam secundae personae in poesi tantum, et in pedestri oratione aequabilitatis causa, ut affirmatiuum excipiat praes. coniunctiuum, in usu est: Cic. de senect. 10, 33 isto bono utare, dum adsit; quum absit, ne requiras): Liv. 21', 44 ne transieris Iberum, ne quid rei tibi sit cum Saguntinis; Cic. ad Att. 14, 1, 2 scribere ne pigrere. — Neque hoc praetermittendum uidetur negationem, quae huic coniunctiuo soleat addi, ne esse, quippe quae prohibitiua sit ui et effectus intentionem uetari sua ipsa natura indicet, sicut apud Graecos non οὐ, sed μή.

Iam ad aliud huiusmodi coniunctiuorum genus est transeundum, ubi non quidem, sicut in prohibitiuis sententiis, prorsus tollitur, at in dubitationem certe uocatur intentio effectus. Ita Graeco deliberatiuo Latinus respondet et dubitatiuus dictus, qui et ipse pro diuersis temporum spatiis certo cuique tempori accommodatur. Ita ad praesentis temporis spatium relatus: Cic. Verr. 1, 16, 42 quid hoc homine faciatis? — Verg. Aen. 1, 327 o .... quam te memorem, uirgo? — praeterito autem tempori inseruiens: Cic. Sest. 19, 42 haec quum uiderem,... quid agerem, iudices? — Cic. de orat. 3, 23, 86 Valerius quotidie cantabat; erat enim scenicus; quid faceret aliud? — Et in his quoque exemplis, id quod iam supra in Graecis commemorauimus, secundae et tertiae personae deliberatiuus ad primam personam reducendus est, ita ut illud: quid facietis? ex iudicum animis: quid faciamus? interrogantium; et illud: quid faceret? ex subiecti in praeterito tempore: quid faciam? interrogantis animo cogitandum sit.

Vnum nobis restat Latini coniunctiui genus, pro quo Graecae linguae proprius est modus optatiuus, qui puram significat cogitationem, actionem in animo subiecti uersantem sublata intentione effectus. Qua re fit, ut minus hic congruant Latinus coniunctiuus et Graecus, qui ab hoc usus genere est alienus.

Iam igitur uoluntas quum non modo praesenti atque futuro contineatur tempore, sed etiam — ubi actio aliqua ut aut eodem tempore, quo aliae res praeteritae, aut priore acciderit, optemus — ad praeteritum referri possit tempus: optatiua non minus in praesentis et perfecti, quam in imperfecti et plusquamperfecti coniunctiuis inesse potest significatio. Neque tamen temporis modo discrimen inter uarias has formas intercedit; sed quum per praesens, ut nunc uel futuro tempore actio fiat, optetur; per perfectum, ut actio praeterito tempore inchoata iam perfecta praesto extet; per imperfectum, ut actio in certo quodam praeteriti temporis spatio simul cum aliis eiusdem temporis euentis acciderit; per plusquamperfectum, ut ante alia eiusdem temporis euenta: factum est, ut per praesens tantum atque perfectum, quid quis optatorum perpetratum iri putet, exprimi soleat. Imperfectum contra atque plusquamperfectum quum uota in praeteritum tempus reposita in praesentia iam nullius sint ad efficiendam rem momenti, de iis in uniuersum usurpantur optatis, quae quis effici posse desperet: atque ita quidem, ut ad praesentis omnino temporis spatii irrita uota imperfectum, plusquamperfectum ad praeteriti referatur. Ita Cic. Mil. 34, 93 ualeant ciues mei, sint incolumes, sint florentes, sint beati — ad praesentis et futuri temporis spatium pertinet, aeque ac Liv. 2, 12, 11 nullam aciem, nullum proelium timueris. At Cic. Tusc. 5, 22, 63 utinam ego tertius uobis amicus adscriberer — locus est imperfecto, si quidem rem Dionysius optabat, quam effici (praesenti tempore) posse ipse non sperabat[16]); et Cic. ad Att. 11, 9 haec ad te die natali meo scripsi, quo uti-

---

[16]) Kühner ad h. l.

nam susceptus non essem: ubi per rei naturam contrarium „at susceptus sum" subaudiendum est. — Ex proximis his exemplis adiungi posse elucet huic coniunctiuo optatiuas quasdam particulas, uelut utinam et ut[17]. Et negatio huic coniunctiuo non additur non sed ne — nisi, ut in superiori illo Ciceroniano exemplo, cum uerbo in unam quasi coalescat notionem non (non susceptus = ungeboren). — —

Iam priusquam ad suspensas ex aliis sententias transeamus, duo consideranda nobis sunt Latini coniunctiui genera ei, quod mox[18]) tractaturi sumus, condicionali, finitima atque cognata: potentiale et concessiuum.

In cogitatione enim versantem actionem Latinus coniunctiuus non quidem iam esse, at posse tamen fieri et data occasione futuram esse significat: id quod Graecae linguae optatiuus potissimum (addita ἄν particula) exprimit. Ita coniunctiuus et de incerta quadam et ficta persona (pronomine indefinito uel interrogatiuo uel secunda uerbi persona non ad certum quendam hominem relata) in usu est: Cic. de amic. 3, 11 cum illo uero quis neget actum esse praeclare? — Cic. off. 3, 19 dixerit quis; Liv. 2, 43 maesti, crederes uictos, ... redeunt in castra — et de certa persona: Cic. off. 1, 22, 6 Themistocles quidem nihil dixerit, in quo ipse Areopagum adiuuerit. — Saepissime autem primae personae locus hic est, praecipue ubi cum modestia quadam uoluntas pronuntietur: uelim, malim, nolim; cuius rei usitatissimae exempla afferre minus opus esse uidetur. — Ex iis autem, quos exhibiuimus, locis temporum quoque, quam consulto adhuc neglexímus, elucet diuersitas, quam, quo quaeque accidere cogitetur actio, temporis spatio respondere oportet. Ita praesenti spatio inseruientes praesentis et perfecti coniunctiui actionem fieri uel posse uel potuisse exprimunt: dicam, dixerim; ad praeteriti temporis spatium relata actio, quum uel in id tempus incidere uel antea absoluta atque perfecta cogitetur, per imperfectum uel plusquamperfectum enuntiatur: diceres, dixisses; ad futurum tempus coniunctiuus uel praesentis (qui in uniuersum infectam aliquam actionem exprimat) — uel — qui quidem multo est frequentior, quum hic actionem durare minus quam perfectam esse significandum sit — futuri exacti pertinet: dicat, dixerit. — Hoc tamen tenendum est omnes eiusmodi potentiales coniunctiuos proprie mancas esse enuntiationes iisque annumerandas, quae condicionales[19]) dicantur.

Ad potentialem Latini coniunctiui concessiuus[20]), qui dicitur, usus proxime accedit, quo quidem et ipso Graeca lingua caret. Vbi enim potentiali coniunctiuo in sequente enuntiatione maiore cum ui opponitur aliquid: potentialis coniunctiui concessiua inde euadit significatio, quam coniunctiuo non ipsi inesse, sed per sententiarum modo conexum attribui apparet. Ita Cic. nat. deor. 1, 22, 60 roges me .... , potentiali quum adiungatur oppositum: nihil fortasse respondeam: concessiuam priori coniunctiuo apponi notionem per se patet. — Item Cic. off. 3, 13, 54 (aedes) male materiatae sint, ruinosae: fieri posse, ut aedes tales sint, pronuntiatur; iam autem addito „sed hoc praeter dominum nemo sciat" prioris enuntiati concessiuam esse sententiam elucet. — Quae concessiua potentialis coniunctiui significatio saepe additis particulis quibusdam, quibus concessiua insit uis, uelut licet, ut, ne etc. apertius demonstratur: Ov. Pont. 3, 4, 79 ut desint uires, tamen est laudanda uoluntas.

---

[17]) Apud Vergilium Aen. 8, 560 o mihi praeteritos referat si Juppiter annos — coniunctiuum minus esse optatiuum quam condicionalem ex iis apparet, quae sequuntur v. 568 non ego nunc dulci amplexu diuellerer usquam, nate, tuo.

[18]) cfr. p. 9. 10.

[19]) Vbi accuratius huius quoque generis mentionem repetemus: cfr. p. sqq.

[20]) cfr. p. 9. 11.

Iam igitur ad coniunctiuum in secundariis enuntiationibus usurpatum quum peruenerimus, primo loco de eo talium enuntiationum genere dicendum uidetur, quod saepius modo commemorauimus, condicionali.

Atque condicionis quidem nomen quum de ea re adhibeatur, sine qua alia quaedam esse non possit: duo esse condicionalis sententiae apparet esse membra, hypothesin et apodosin, quarum is sit conexus, ut sublata hypothesi apodosin euenire iam non posse significetur[21]). In apodosi autem, si quidem priore loco Graecae linguae spectatur usus, omnibus iis modis est locus, quibuscunque in libera enuntiatione: indicatiuo, ubi simpliciter per se; coniunctiuo, ubi cum intentione effectus; optatiuo, ubi in cogitatione actio ponatur; imperatiuo, ubi, ut res eueniat, ex alio quo postulatur.

Idem de hypothesi[22]) ualet, ubi *εἰ* condicionali particulae additus optatiuus condicionem animi cogitationi obuersantem; coniunctiuus eandem cum intentione effectus exprimit; itemque praesentis, perfecti, futuri I[23]) indicatiuus simpliciter ueram significat. — Iam igitur de coniunctiuo agitur, qui in huius generis *ἀποδόσει ἄν* particula siue addita siue omissa futurali tantum significatione adhiberi potest[24]), qua de re iam supra[25]) exposuimus. — In protasi coniunctiuus nudae *εἰ* coniunctioni apud poetas potissimum[26]) subiungitur, ut non ueram (indic.) uel cogitatam (optat.), sed cum exspectatione effectus exprimat condicionem. Soph. Oed. Tyr. 198 *τέλει γὰρ εἴ τι νὺξ ἀφῇ, τοῦτ' ἐπ' ἦμαρ ἔρχεται.* Quae exspectatio efficiendae actionis, quae certis quibusdam condicionibus futura ponatur, accuratius addito *ἄν* definitur: *ἐάν* (siue *ἄν*, *ἤν*) et poet. *εἴ κεν*, *αἴ κεν* etc., cuius rei exempla afferre superuacaneum uidetur. Temporum autem discrimina hic quoque sunt obseruanda: praesentis enim coniunctiuo tum locum esse apparet, ubi condicio in idem temporis spatium incidere ponatur, in quod principalis enuntiationis actio; aoristi coniunctiuo tum, ubi antecedere ponatur condicio actionem primariae sententiae. Ita Il. 4, 97 *τοῦ κεν δὴ πάμπρωτα πάρ' ἀγλαὰ δῶρα φέροιο, αἴ κεν ἴδῃ Μενέλαον .... σῷ βέλεϊ δμηθέντα* peractae Menelai caedis praemia Pandarum relaturum esse Minerua proponit. Contra Il. 6, 280 *ἐγὼ δὲ Πάριν μετελεύσομαι, ὄφρα καλέσσω, αἴ κ' ἐθέλῃσ' εἰπόντος ἀκουέμεν*, ubi loquentis Hectoris ipsa uerba audiat Paris oportet. — Qui coniunctiuus in obliqua oratione haud raro in optatiuum transit, quippe qui omisso, num re uera euentura sit actio necne, iudicio puram cogitationem siue ipsius eius, qui loquatur, siue alius cuiusdam pronuntiet: Thuc. 1, 27, 2, *ἐδεήθησαν δὲ καὶ τῶν Μεγαρέων ναυσὶ σφᾶς ξυμπροπέμψειν, εἰ ἄρα κωλύοιντο ὑπὸ Κερκυραίων πλεῖν.*

Latini coniunctiui condicionalis usum a Graeci usu longius recedere reperimus, id quod ex parte quidem eo explicatur, quod Latini coniunctiui in notionem optatiuus quoque Graecus receptus est simulque ita omnis condicionalis optatiui usus; ex parte autem inde proficiscitur, quod — ut in uniuerso suspensarum ex aliis sententiarum genere mox patebit — Graeci multo maiore libertate in subiungendis principali sententiae secundariis utuntur quam Latini; quo fit, ut multo magis quasi sui iuris sint Graeci sermonis secundariae sententiae neque tam arcte, quam in Latina lingua, iam ipsa modalitate principali enuntiationi subiunctae appareant. Con-

---

21) Hypothesin non semper per propriam enuntiationem exprimi oportere, sed etiam ex singulis quibusdam uocabulis (*τότε* etc.) uel ex uniuerso orationis contextu eliciendam esse per se liquet. — Ceterum quam arte duo illa membra cohaereant, nomen quoque *συναπτικῶν συνδέσμων*, quippe quibus quasi conuinciatur atque conseratur hypothesis cum apodosi, indicat.

22) a qua imperatiuum sua ipsius notione excludi primo aspectu patet.

23) de reliquorum temporum discrimine postea nobis dicendum erit: cfr. p. 10.

24) Quo fit, ut saepe cum futuro hic commutetur coniunctiuus et, certius si pronuntietur consecutionem esse euenturam, uel cum praesentis indicatiuo.

25) cfr. p. 2.

26) quamquam non prorsus a pedestri sermone abhorret is usus: Xen. anab. 3, 31, 36 *εἰ δὲ ὑμεῖς αὐτοί τε παρασκευαζόμενοι φανεροὶ ἦτε .... καὶ τοὺς ἄλλους παρακαλῆτε, εὖ ἴστε, ὅτι ἕψονται ὑμῖν* — et *αὐθυποτάκτων*, quae dicuntur, ut *μάθω, λάβω* etc., a posterioribus scriptoribus saepius adhibetur.

iunctiuo igitur Latino, quum rem non ueram esse, at cogitari, fieri posse exprimat, in utroque condicionalium enuntiationum membro locus est, et in protasi et in apodosi, prout uel condicionem poni neque tamen eam ueram, uel consecutionem non iam ueram esse, at certis quibusdam condicionibus effici posse significat. Amplior igitur hic eius est prouincia quam Graeci, diuersusque temporum e diuersitate euadit sensus. — Ac primum quidem de eo dicendum nobis est genere, ubi et in protasi et in apodosi coniunctiuus ponitur; quod quidem tum adhibetur, quum ficta ex condicione consequi rem posse uel poni indicetur. — Praesentis autem et perfecti coniunctiuo Latini utuntur, ubi Graeci ἐάν c. conj. uel εἰ cum opt. sequente in apodosi eodem optatiuo, ubi fieri (uel factum esse) aliquid posse, neque tamen iam fieri (uel factum esse) exprimatur: Cic. off. 3, 25, 95 si gladium quis apud te sana mente deposuerit, repetat insaniens: reddere peccatum sit, officium non reddere. — Imperfecti contra et plusquamperfecti locus est coniunctiuo, ubi in Graeco sermone (ut certis quibusdam condicionibus (ἄν) — quae et ipsae ut non uerae, per imperfectum uel aoristum exprimuntur — praeteritum aliquid ponatur, quod hac ipsa re non uerum esse significatur) imperfecti uel aoristi cum ἄν indicatiuus usurpatur. Latini igitur imperfecti et plusquamperfecti coniunctiuus de iis adhibetur rebus, quae uel nunc futurae essent uel praeterito tempore futurae fuissent (nisi aliae quaedam res obstitissent) uel contra ueritatem exstantes ponuntur: Cic. Rosc. Amer. 6, 17 quas inimicitias si (Roscius) ...... cauere potuisset, uiueret. — Ea autem temporum discrimina ut ubique obseruentur, tantum abest, ut et imperfectum reperiatur, ubi plusquamperfectum expectetur, quum res, quae praeterito tempore futurae non esse praedicabantur, iam quasi in praesentiam transponantur: Cic. Phil. 8, 4, 14 num igitur eum, si tum esses, temerarium ciuem aut crudelem putares? — et eadem ratione pro imperfecto (et apud poetas uel pro plusquamperfecto) praesens: Ter. Andr. 2, 1, 11 tu si hic sis, aliter sentias; Verg. Aen. 5, 325 spatia et si plura supersint, transeat elapsus prior (Diores). — — Neque tamen semper condicionalis enuntiati utrumque membrum per coniunctiuum ponatur oportet; potest quoque fieri, ut uel in protasi uel in apodosi indicatiuus adhibeatur. Atque in protasi quidem positus indicatiuus rem quandam ueram esse declarat, e qua consecutiones quasdam prodire uel posse uel cogitari apodoseos denotat coniunctiuus: Plaut. Aulul. 1, 3, 31 id si reliquero ac non peto, omnes illico me suspicentur, credo, habere aurum domi. — Saepissime autem hoc adhibetur genus dicendi in iurisiurandi uel uoti formulis: Hor. satt. 1, 9, 38 inteream, si aut ualeo stare aut noui ciuilia iura; Cic. Cat. 2, 10, 21 si stare non possunt, corruant. — Multo uero frequentior coniunctiui in sola protasi est usus, ubi cogitata ex condicione consecutionem quandam euenturam utique esse pro certo affirmatur. Ita indicatiui et praesentis et imperfecti, quin etiam plusquamperfecti per ἔμφασιν quandam adhibentur: Hor. satt. 2, 1, 20 cui male si palpere, recalcitrat undique tutus; ib. 1, 3, 15 decies centena dedisses huic parco paucis contento: quinque diebus nil erat in loculis; Hor. carmm. 2, 17, 27 me truncus illapsus cerebro sustulerat, nisi Faunus ictum dextra leuasset. — Praecipue autem indicatiui futuri huc pertinere usum e rei natura elucet: Cic. Tuscc. 5, 35, 102 dies deficiat, si uelim paupertatis causam defendere. — Et semper ita indicatiuus usurpatur de iis rebus, quas in certam quandam condicionem (quae non euenit) agendas sibi quis proposuerat: Cic. Verr. 3, 52, 121 illi ipsi, qui remanserant, ... relicturi agros omnes erant, nisi ad eos Metellus Roma literas misisset. — Similiterque inde de eo, quod fieri uel oportebat uel poterat, usurpatur, ut id prorsus in uniuersum pertinere significet: quae longius hic persequi minus nostrum uidetur esse. Hoc tantum repetemus, quod iam supra[27]) attigimus, in Latino quoque sermone haud aliter

---

[27]) p. 8.

atque in Graeco hypothesin saepe orationis ex contextu supplendam esse: unde linguae Latinae explicatur natura coniunctiui, qui dicitur potentialis[28]), itemque, qui simillimus illi est, concessiui[29]). — Condicionalibus denique enuntiationibus annumerandae sunt eae, ubi comparationis causa res, quae uerae non sunt, pro ueris ponuntur, ubi coniunctiuum ad exprimendam rem in cogitatione uersantem suo prorsus esse loco apparet: Cic. div. in Caecil. 4, 14 sed quid ego his testibus utor, quasi res dubia aut obscura sit? — —

Multis ex partibus finitimus condicionali coniunctiuus est obliquae interrogationis, quae ignorationem simulque ueri ad liquidum explorandi desiderium exhibet. Qua in obliqua interrogatione quum eadem maneat enuntiationis modalitas atque in directa: deliberatiuo[30]) praecipue coniunctiuo locus hic est: Il. 9, 619 *φρασσόμεθ', ἤ κε νεώμεθ' ἐφ' ἡμέτερ' ἤ κε μένωμεν* (directe: *νεώμεθα ἢ μένωμεν;*). — Praeterea *ἐάν* sententiam, quae interrogatiua sit significatione, introducere potest, neque tamen propterea particulis, quae proprie uocantur interrogatione, annumerandum est; ubicunque enim interrogatiuam notionem induere uidetur, id modo significat actionem quandam uel affirmari uel postulari ea condicione, ut alia quoque actio eueniat[31]). Ita Aristoph. Rann. 175 *ἀνάμεινον, ὦ δαιμόνιε, ἐὰν ξυμβῶ τί σοι* proprie non significat: exspecta, num tecum conueniam, sed: mane ea spe, ut .... — Item Eur. Het. 428 *μόνος δὲ νοστῶ τοῖς ἐκεῖ ζητῶν φίλοις τα προσφόρ', ἤν πως ἐξερευνήσας λάβω.* — Neque tamen hoc neglegendum est suspensum a praeterito tempore principalis sententiae hunc coniunctiuum interrogatiuum omissa *ἄν* particula (*ἐάν* abeunte in *εἰ*) cum optatiuo commutari solere, ut sublata intentione effectus puram in cogitatione positam agendi considerationem exprimat: Her. 1, 53 *ἐνετέλλετο ὁ Κροῖσος ἐπειρωτᾶν τὰ χρηστήρια, εἰ στρατεύηται ἐπὶ Πέρσας Κροῖσος καὶ εἴ τινα στρατὸν ἀνδρῶν προσθέοιτο φίλον*, ubi non sine causa uariant coniunctiuus et optatiuus: *στρατείαν* efficere in animo est Croeso, *συμμάχους προσθέσθαι* nondum propositum ei esse potest, quoniam, si *στρατεύεσθαι* eum uetet oraculum, hoc *προσθέσθαι* futurum non esse per se apparet[32]).

